




SALVATORIS
CUM BII
CARMINA.




MELITAE
1839.

MZX, GL, C
P.B. 177
C

SALVATORIS
C U M B I I

MELITENSIS
C A R M I N A .



MELITAE
IN AEDIBUS CUMBIANIS
c1800ccxxxix.

EQUITI
IGNATIO GAVINO
BONA VITAE
MELITAE
SUPREMI TRIBUNALIS
PRAESIDI AMPLISSIMO
SALVATOR CUMBIUS

S. P. D.



*NEMINEM latere arbitror, amplissime Ignati, viros
summos, rebus quantumlibet gravioribus intentos,
ad amoeniora studia animos identidem convertere
solere. Hic mos iis tantummodo non satis proba-
tur, qui ingenium sortiti natura duriusculum,
voluptatem ex litteris prodeuntem haud sentiunt.
Qui vero leniori sunt animo, et rerum proinde
suavitatem sentire noverunt, ad Musarum delicias
sponte attracti, tota his quandoque mente, toto ani-
mo indulgent. Hinc Fracastorius Bembo sua car-
mina mittere non dubitabat. Hinc Flaminius*

Alexandro Farnesio, Reginaldo Polo, Rhodulpho Pio, ceterisque romanae ecclesiae cardinalibus lusus suos mittere animose solebat. Hinc Sannazarius vel ipsi Frederico regi parthenopaeo.

Quae cum ita sint, amplissime Ignati, haud mihi vitio vertendum puto, si tibi, in negotiis caeteroquin gravissimis, legibus patriae ferendis, jure civibus dicundo occupato, meas audacter offero nugas. Quin potius id muneris, qualecumque est, tibi non injucundum fore confido. Te enim probe scio a litterarum deliciis non esse alienum. Id, quae olim scripsisti poemata delicatis auribus jucundissima, plane testantur; et sedula, quam restituendis in regia academia litterarum studiis contulisti, cura penitus confirmat.

Ea igitur, qua polles, animi suavitate hoc opus accipito, et si quando negotiorum mole vacabis, legito. Sic me incredibili laetitia afficies, studiosaeque juventuti ad litteras excolendas animum adjicies. Vale.

VII. Kal. Oct. MDCCCXXXIX.

PARS PRIMA

L U S U S .



Χαίροιτε ἡμῖν

Ἕρως· ἡ λύρη γάρ

Μόνους Ἔρωτας ᾄδει.

Anacr. Ode I-

SALVATOR CUMBIUS

JOSEPHO ZAMMITHIO

DOCT. ET POET. OPT. S. B.



Nil erat profecto vetustati antiquius, quam xenia ultro citroque Saturnialibus mittere. Nobis etiam mos adhuc viget diebus fere iisdem, Natalitiis a sanctiori mysterio nuncupatis, mellita crustula mittere sodalibus. Ego igitur, vates optime, ut mei memoriam refrices, xeniola tibi mittere vellem. Sed quoniam sacculus mihi plenus est aranearum, (quamvis enim hodie araneas mihi Tritonis interficiet, cras tamen a me iterum suscitabuntur; quem enim putes Κουμβίου σου θαυματουργώτερον?) nec xenia nec mellita crustula mittere queo. Tibi igitur, cui crustulis xeniisque omnibus sapidior est Musa, hosce versiculos, quos diebus istis a gravi morbo restitutus solatio ergo scribebam, pro xeniis crustulisque mitto. Tu pariter tua lepidissima carmina tuo Cumbio legenda mitte. Vale.

III. Kal. Januar. MDCCCXXXVII.

SALVATORIS CUMBII

L U S U S .



CARMEN I.

DE AMORE.

NUPER fugit Amor sinum parentis
Se cito miserae auferens volatu.
Diva pulcherulum suum puellum
Suas delicias suum leporem
Quaerit turgidulos rigans ocellos.
Ac tandem nimio dolore pressa:
“ O cui visus Amor, mihi puellum,
“ Puellum mihi prodito, inquit, et te
“ Grata basiolo remunerabor.”
Ne pergas nitidum rigare vultum
Diva; basiolum mihi: puellus
En hic in teneris latet medullis.



CARMEN II.

DE LEUCOSIE.

BEATI modo in hortuli recessu

Dum graves fugio urbium tumultus

Otio et recreor beatiori,

Pictas solivagus rosas legebam.

Blandulae Veneri Cupidinique

Depictum vario colore sertum

Nectebam male cautus. At repente

Feri nescio quid mihi altiori

Imas vulnere sauciat medullas.

Amans aestuo, cuncta lustrō circum.

En molli cumulo insidens rosarum

Blanda Leucosie, volatque circum

Auratas jaculans Amor sagittas.

Ulturus puerum plagas tetendi,

Cautus insidias deo latentes

Struxi, callidulum deum prehendi.

Captus ille tamen, profundiori

Dato vulnere, promptior refugit.

Hinc mihi studium, mihi voluptas

Una Leucosie, hinc libens volensque

Amo Leucosien, libens requiro
 Declinans hominum graves tumultus
 Grato floridi in hortuli recessu.



CARMEN III.

AD VILLAM.

RURUM blandule flos amoeniorum,
 Quotquot in Melitae videntur oris,
 Si mihi superi annuent benigni,
 Tuum detur ut in sinum volare
 Jucundoque frui tuo recessu,
 Quam laetum fore quam putes beatum!
 Tunc curis animo omnibus soluto
 Jacens frigidula arboris sub umbra
 Multa versiculis canam jocosis.
 Tunc mecum silvæ canent loquaces,
 Vicini repetent sonos agelli.
 Tunc circum volucres supraque ludent,
 Quassabunt hilares utramque pennam
 Blandæ, et carmina vatis æmulantes


Concentu modulos ferent amoeno.
O quid me vetat in tuos recessus
Villa confugere? o sinum beati
Ruris mi cupido advolare detur!
Quod dii si tribuent mihi faventes,
Non opes equidem Attalo superbas,
Non vitam tibi, Nestor, invidebo.



CARMEN IV.

AD LEUCOSIEN.


CLAM, mea Leucosie, patrio discede recessu,
Ad lucum Phoebes incommitata veni.
Hic umbram silvae, mollem dant gramina sedem,
At densi obscuram dant frutices latebram.
Hic animi gravibus fas est solatia curis
Ferre, proculque omnem pellere amaritiem.



CARMEN V.

DE PERFIDIA HYELLAE.


SAEVIT hyems, at blanda rosas me poscit Hyella
 Dulcia promittens reddere basiola.
 Alma Venus puero faveas, bona diva, precanti,
 Ut zephyri felix procreet aura rosas.
 Protulit aura rosas, cupienti ego trado puellae,
 Abnuit illa tamen reddere basiola.
 Jam jam multivolae nemo promissa puellae
 Credat, jam nulli feminae habenda fides.
 Quae dum aliquid cupiere, nihil promittere parcent;
 Ast dein promissi nil meminere sui.



CARMEN VI.

DE INULTA HYELLAE PERFIDIA.

Quid mirum, tulerit quamvis gratissima dona,
 Perfida si puero fallat Hyella fidem?
 Non equidem admiror: quamvis gestare pharetram
 Conspicitur, tamen est lumine laesus Amor.



CARMEN VII.

DE LEUCOSIES LABELLIS.

BLANDA Leucosies meae labella

Causa solliciti mihi furoris

Aequa puniceis rubent rosetis.

Haec dulcem docuit Cypris cachinnum,

His multum addidit elegantiarum.

Haec si vel leviter moventur, atque

Leni blandula murmurant susurro,

Verba dulcia melle dulciora

Edunt; at quoties juvat misello

Fida jungere basia, haec mihi sunt

Suävi ambrosia suäviora.

I nunc fama loquax, venustiores

Effer Lesbiolasque Deliasque,

Omnibus siquidem decore praestant

Blanda Leucosies meae labella.



CARMEN VIII.

AD LEUCOSIES GENAS.

GENAE lacteolae nive albiores

Sponte purpureo colore pictae,

Quam felix mea vita, quam beata

Foret, quam similis foret deorum,

Si vestro mihi perfrui decore

Cunctis assidue liceret horis?

Vos pulchrae faciem albulam Dianae,

Et Phaebi aureolum simul ruborem

Praefertis, Charisinque surpuistis

Unae omnem nitidissimum decorem.

Vos et deperiens puer Cupido,

Matre posthabita, volatque circum,

Et quassat faculas, jocansque vobis

Saepe saepius insidet tenellus.

At tu blande puer, puer tenelle,

Cui tam Leucosies genae probantur;

Si cordi tibi sunt miselli amantes,

Si mihi tuus ardet in medullis

Ignis, jam miserescito obsecrantis.

Usque sit mea, quaeso, Leucosilla,

Nec mentem alterius velit revinci
 Amore; ast pereat fidelis unum
 Memet, deperiam fidelis unam.
 Tunc et lacteolis rubentibusque
 Genis perfruar, et satis superque
 Dicar auspicio tuo beatus.



CARMEN IX.

AD HORTUM IN QUO LEUCOSIES
 PRIMUM VISA EST.

HORTULE, ubi cupido conspexi lumine primum
 Quae mihi luminibus carior atque anima,
 Hortule puniceis o circum septe rosetis,
 Sub queis tunc pulchro corpore strata fuit:
 Dum me fata sinent vitali vescier aura,
 Ipse memor vivam tempus in omne tui.
 At modo si reditum ferethuc, pulchramque revisens
 Dulcia praetrepidans basia surripiam;
 Ad coelum lepidis extollam versibus, et te
 Hesperidon hortis ditibus anteferam.



CARMEN X.

AD EUMDEM.

HORTULE ter felix, Veneri dilecta vireta,
Vos o puniceis arva decora rosis:
Si vos invisum veniet formosa puella,
Pectoris ardorem dicite, quaeso, mei.
Fors erit, ut nostri pernoscens pectoris ignem,
Haud nobis posthac ardeat illa minus.



CARMEN XI.

MYRTI DICATIO.

HANC myrtum serit educatque lymphis
Tibi, sancta Venus, puer Lycambus.
Tu face ut puero benigniorem
Sese praebeat integella Phyllis.
Hoc si tu facilis, venusta Cypri,
Concedes puero; tibi ille centum
Myrtos nutriet in suis agellis.



CARMEN XII.

AD LEUCOSIEN.

DULCIS Leucosie mei lepores,
Viden', si zephyrus refert tepores
Suae et Cloridi leniter susurrans
Ludit in gremio, ut renidet omnis
Vestitus roseo hortulus decore?
Utque coelivagum genus volucrum
Alis praetrepidantibus serenum
Findit aëra, pipilatque ludens?
Viden' Tethyos ut furor silescit,
Et leni rosonat salum cachinno?
Sic cum, Leucosie, tui Lycambi
Curris in gremium, tuo lepore
Lycambum exhilaras facetiisque.
Tunc mens praetrepidans avet tenellis
Jocari numeris, modo hoc modo illoc.
Tunc passim resonant leves cachinni.
Et latens silvis fidelis Echo
Dulces versiculos refert amantis.



CARMEN XIII.

AD VENEREM.

QUAM sevit tibi, pulchra diva, et omni
Alebat studio puer Lycambus,
Myrtus heu! boreae perusta flatu
Pallet aridulis misella ramis.
At tibi male sit, furentioris
Infelix aquilonis aura, quae nil
Hortulo in misero sinis virere.
Tam gratam mihi plantulam interemsti!
O factum male! o misella myrte!
At tu multipotens, venusta Cypri,
Si fuit tibi myrtus illa cordi,
Si cordi miser est tibi Lycambus,
Vinculis facito impeditus umquam
Haud perflet boreas; sed usque agellos
Mulceat zephyri tepentis aura.
Sic myrtus seret, o venusta Cypri,
Nutrietque tibi puer Lycambus.



CARMEN XIV.

AD FAVONIUM.

AURA, quae lenis per inane currens
Hortulos flatu recreas tepenti,
Candidam môtis pete Leucosillam
Concita pennis.


Sive fulgenti strophio papillas
Vincta jam gemmis faciem decorat,
Sive perfusos nitido capillos
Implicat auro;

Sive nil cultum potius requirens
Navium prudens bona cuncta spernit,
Pulchra dat sponte proprio nitere
Membra decore;

Pergito audacter, volucris subito
Blandulae sedem placidam puellae,
Ne pudor tectis abigat molestus,
Neve moretur.

Pergito au lacter, volitanſque circum
 Dulcis adspira, placidaque divae,
 Ceu rosae prati solita es recentis,
 Oscula fige.

Sic tibi semper redimita Cloris
 Rideat; sic te pelago creata,
 Quae Gnidum et Golgos colit Idalumque,
 Diva secundet.



CARMEN XV.

DE LEUCOSIE.

PUELLA dulcis, quam Lycambus deperit,
 Tam pulchra vultu tam lepore praedita,
 Ut Cypridis venustae prolem diceret.
 Hanc blanduli circum volant Cupidines
 Ovante Cypride, hanc sectantur Gratiae.
 Nympharum in orbe o quantum est decentium,
 Quid pulchrius, quid Leucosilla blandius!



CARMEN XVI.

HYMNUS IN VENEREM.

SED quis Cypridis immemor
Laudes praetereat tuas,
O pulcherrima coelitum,
Blanda mater amorum ?

Te suis colit urbibus
Tellus cypria ; et Idali,
Et thus suaveölens Paphi
Centum imponitur aris.

Et te Durrachium colit;
Tu Golgos regis, et Gnidon;
Dives effigiem Syrus
Tibi finxit in auro.

Celsas tu superum domos
Diya multipotens colis,
Et sola imperium tenes
Natorum agmine cincta;

Te jubente, Cupidines
Tela conjiciunt, amant
Extemplo superi, undique
Sonant aethera plausu.

At fulgentia sidera
Linquens vere novo, illico
Ad terras aditum refers
Tua hic templa revisens.

Tunc laetae plateas Cypri,
Plauastro nobilis aureo,
Percurris volucris rota,
Albis tracta columbis.

At circum Charites solum
Alterno quatiant pede,
Et blandae liquida simul,
Voce carmina fundunt:

Ut spumantibus editam
Undis aequoreis deam
Felix attulerit Cythe-
rorum ad littora concha;

Utque pulcherulam sinu
 Divam exceperit insula,
 Civis constiterit stupens
 Dium frontis honorem.

Pulchrae tum phrygium petunt
 Judicem deae : at omnibus
 Una pulchrior obtinet
 Mali munera Cypris.

Haec divae. At subito audiens
 Tellus carmina laetior
 Formosae Veneri suos
 Spargit undique flores.



CARMEN XVII.


AD VILLAM.

NEREIDUM Dryadumque simul tu gaudia praestas
 O Juliana villula.
 Vos strepitus urbis populiue valet; beatum
 Hic me recessus efficit.

CARMEN XVIII.

LYCAMBUS A LEUCOSIE SPRETUS.

PULCHRA at marmore durior puella,
Quidnam, dic age, quid fugis Lycambum?
Quid, quo nec faceres pili misellum,
Te laesit puer? Anne quod puellas
Maluit tibi posthabere cunctas,
Quod te deperit ac fidelis omnes
Jurat assidue perire in annos?
Pulchra at marmore durior puella!
Hinc patens volucris haud placebit aër,
Hinc aper silvas, paventiores
Hinc procul fugient juga alta cervi,
Hinc et aequora piscis, hortulumque
Ros fastidiet, hortulusque rorem.
Quidni? Credito, cuncta deinde fient,
Si tantus modo displicet puellae
Ignis. At miserum tamen peruris . . .
Ardentem excrucias, necique tradis,
Pulchra at marmore durior puella.



CARMEN XIX.

AD INFIDAE LEUCOSIES OCULOS.

BLANDAE Leucosies venusti ocelli,
 Ocelli nitidissimi aureisque
 Poli sideribus micantiores,
 Quid heu me miserum, impotente amore
 Quem peruritis, aestimatis assis?
 Cuique perpetuum sponderatis
 Amorem, modo perdere haud cavetis,
 Meque respicere, improbi, negatis?
 Heu! si quid lacrymae movere possunt,
 Memet aspiciate, oro, lacrymantem.
 Tunc, o perfiduli, si adhuc potestis,
 Pergite unius aestimare flocci.

CARMEN XX.


DE FRONTIS FALLACIA.

DECIPIT heu species: fallacem graminaut anguem
 Sic frons perfidiem blandula saepe tegit.

CARMEN XXI.

AD SILVESTRIA NUMINA.

VENUSTAE Dryades bonique Fauni,
Si forte invia saltuum vagantes
Dulcem viseritis meam puellam;
Seu cursu lepores paventiores,
Seu levi insequitur feras sagitta,
Sive corpus, ut assolet, tenellum
Strata sub viridi jacet roseto;
Ad me jam redeat, precor, jubete.
Nam licet sua verba ferre ventos
Sivit irrita defluasque nubes,
Nec pili facit unius misellum,
Ipse perfidulam tamen puellam
Eheu! deperio impotente flamma.
Heu! quidnam faciant miselli amantes,
Fidem cuive habeant, puellularum
Cum sit tam varium genus ferumque?
At tu, si sapis, ad tuum Lycambum
Redi, o lumine carior puella.



CARMEN XXII.

AD CUPIDINEM.

O PUER blandae columnen parentis
Aurea insignis pharetra potensque,
Saepe qui curis hominum molestis
Gaudia misces.

Mente me spernit viden' ut superba,
Ut malis damnat miserum tenebris,
Quae meam sese (heu miserum!) solebat
Dicere quondam?

Me tuis laesum jaculis perurit
Flamma dimanans teneros sub artus;
Ardeo . . . spero . . . timeoque . . . mille
Fluctuo curis.

Nec datur jucunda animum quiete
Recreari, seu tenebrosa terras
Obtegit nox, seu nitidam reducis,
Cynthia, lucem.

Corde sed juges agito furores
 Perfidam volvens animo pùellam;
 Flere nec cesso tepidoque vultum
 Imbre rigare.

Ore flagrantem heu quoties viderunt!
 Heu genas pallor quoties notavit!
 Saepe defessus cecidi tenebris
 Tectus ocellos.

Saepe languenti revocare divam
 Voce conatus: "Fera Leucosilla!"
 Inqui; at luctu superante lingua
 Torpuit ore.

Illa sed nullis lacrymis movetur,
 Tam graves numquam miseretur aestus,
 Dura nec vocem morientis audit
 Marmoris instar.

Sancte, tu quicquid patior tueris:
 Verum id aequa mente feres? Quid ergo
 Te juvat gestare humeris sonantem,
 Dive, pharetram?

CARMEN XXIII.

DE PERFIDIA LEUCOSIES.

HEU quid agam infelix? mortî me destinat atrae,
 Quae sola est oculis visa puella meis.
 Illa suo memet pulcherrima torruit igne,
 At nunc perfidula spernit et excruciat.
 Nec juvat immitem lacrymis tentare puellam:
 Nam veluti nullis flatibus eruitur
 Annosa in Tauri praerupto vertice quercus,
 Crudelis nulla flectitur illa prece.
 Dura puella vale: non deprecor, obdurabo:
 At tu spreta dabis perfida supplicium.

CARMEN XXIV.

AD MORTEM.

MORS tandem atra veni, curis exsolve Lycambum,
 Quid dolor aeternis fluctibus exagitat?
 Caecus Amor miseros angi permittit amantes;
 Te tamen expertem luminis haud perhibent.

CARMEN XXV.

LYCAMBUS IN SILVA.

Has inter corylos (memini) pia numina jurans
Improba perpetuum quondam promisit amorem.
Illa dies albo (heu frustra!) signata lapillo,
Ultima de Nympha me tandem vota laturum
Et fore ut insanae caperem solatia curae,
Spem dabat. At multum puero sperare placebat;
Quandoquidem in flammis paulatim totus abiram
Pulcherulaque ardens in virgine suspirabam.
Heu varium genus et mutabile! Perfida namque,
Ceu sua dicta vagis fuerunt tunc credita ventis,
Nil promissa timet, ducit perjuria flocci;
Meque infelicem crudeli tradere letho
Haud metuit, miserique aurem clausisse querelis.
At quae perfidulam tunc audivere loquentem,
Ipsae aerumnosi casum pueri miserantes
Hae coryli persaepe, comas agitantibus Euris,
Clarisonis frustra verbis scelus insectantur.

Dii quibus imperium terrae, queis sidera curae,
Si vos humanae tangunt discrimina sortis,
Si quibus auxilium miseris afferre soletis,
Respicite heu flentem, lacrymis tantoque dolori
Ponite vos metam, superi. Non magna reposco,
Interitum peto; quid diuturnam ducere vitam
Me miserum cogit? quid tantos ferre labores?
Oebalius propriae captus dulcedine formae
Lugebat puer; at pueri miserata dolorem
In ferrugineum mutastis, numina, florem.
Lugebat Niobe, consumptos vulnere natos,
Ast induta tamen duram praecordia rupem
Amisit sensus, omni et resoluta dolore est.
Et me quid vetat in duram praecordia rupem
Induere, ac longas tandem seponere curas?
Numina, vos pueri, quaeso, miserescite fletus.
Sim rupes. Erit ut reditum ferat improba quondam
Rupemque aspiciens oculos suffusa nitentes
Ipsa dolens fleat, ac tacito sub pectore dicat:
“ Heu mea perfidies occidit dura misellum! ”



CARMEN XXVI.

VOTUM VENERI.

HANC tibi votivam, Cythereia, dedicat aram

Infelix, puero tu bona diva fave.

Divia fave, et longum pueri miserata dolorem

Fac miserum repetat candida Leucosie.

Sic aram sancto perfundet lacte quotannis,

Nec deerit sacris hostia multa tuis.

Hanc circum pueri, simul innuptaeque puellae

Festivos ducent, o bona diva, choros.



CARMEN XXVII.

AD VENEREM.

DIVA spumanti pelago creata,

Una quae toto dominans in orbe

Allicis mentes, cupidumque passim in-
cendis amorem.

Quicquid in terris pelagoque vivit,

Vim tuam sentit, tibi servit uni;

Nil tua intactum face, nil iniustum,

Divia, relinquis.

Nam tuae vires faculae potentis
Saepe villosum pecus experitur;
Saepe et hyrcanum penitus leonem
Flamma perurit.

Saepe concepto volitant furore
Alitum turmae; madidis sub undis
Saepe squamosus furit aestuatque
Incola ponti.

Ipsae amant quotquot silvīs virescunt
Ilices, quaeque in vario educantur
Hortulo plantae, calidumque amorem
Gramina sentiant,

Rebus in tantis tamen obstinata
Unica obsistens tibi Leucosilla
Te pili ducit, validumque amoris
Reprimit ignem?

Diva, quid cessas? age, pertinacem
Tange sublimi juvenem flagello;
Tange, quae divae nimis arroganter
Jussa refugit.

CARMEN XXVIII.

HYMNUS IN CUPIDINEM.

JAM mihi subeunt nova
Mentem gaudia: nunc age,
Tende, Pieri, barbiton,
Melos rite canamus.

Blandae Cypridis alitem
Prolem dicito, Pieri;
Dicito puerum inclytos
Suetum vincere divos.

Vos huc o pueri, simul
Huc adeste puellulae,
Queis sub pectore mollia
Vigent corda tenello.

At quibus tepido fera
Rubet sanguine dextera,
Quibus cor rigidum, prócul
Hinc abeste feroces.

O pulchrae Veneris puer,
Clara progenies Jovis,
Unus qui pote maximas
Decori addere vires :

Te magnus superum pater
Pectorum dominum dedit :
Tu, quocumque animos libet,
Solut flectere gaudes.

Tu potentior omnium
Heroas regis et deos,
Victor per liquidum aethera
Ducis, alme, triumphum.

Quem tu, sancte puer, bono
Semel lumine conspicias,
Ille pectore dulcia
Semper gaudia captat.

Te volente, benignior
Jam me Leucosie videt,
Nec mage uvidulo sinit
Genas imbre rigare.